

vel ex trito isto, quod de eo usurpant, dicitur: *à Mose* (Propheta) *ad Mosen* (puta Maimoniden) *non surrexit, sicut hic Mose* (de quo modò dictum,) colligere pronum est. Vixit verò hic seculo à Christo nato secundo vel tertio supra millesimum, & promissionem Deut. V, 16. ita exponit: *Bonum justis paratum est vitæ futuri seculi, vitæ sine morte, bonum sine mixtura mali; uti scriptum est in lege, ut benè sit tibi, & prolonges dies. Didicerunt ex traditione, ut benè sit tibi, intelligendum de seculo, quod totum bonum est, atque hoc est seculum venturum.* Quemadmodum verò adductus modò Maimonides futuræ vitæ præmia l. c. concedit, ita idem alibi (Comment. sc. in Cap. ult. Sanhedrin, it. in libro Maddah) æternas quoque pœnas legis transgressoribus infligendas agnoscit. R. Mose Gerundensis ac R. Bahia pariter expressè fatentur, per *legem* non modò corporalem vitam ac felicitatem, sed & spirituales nos adipisci; & quò diligentior aut remissior homo sit ad eam observandam, eò majorem ejus felicitatem aut minorem fore; ideoque dictum esse, *quæ homo faciet, & vivet in illis*, Levit. XIX, 5. Et ne fortè regerant Photiniani, antiquos fortè Rabbinos ac Judæos id concessisse, vel promissa divina hoc modo intellexisse, hodiernos tamen minimè talia agnoscere: observandum est, quòd Menasse quoque Ben Israel, qui propè novissimus è Judæis est, [vixit enim adhuc paucis abhinc annis, eum ipse Amstelodami anno superiore quinquagesimo per Belgium iter faciens eum conveni] ac nomen sibi inter populares non modò suos atque Apellas, sed inter Christianos quoque diversis editis scriptis comparavit sat celebre, pariter non resurrectionem modò mortuorum è V. T. probet, verùm etiam in Conciliatore in Lev. 23, 31, quæst. 7. p. 195, expressè scribat.

*legem*